Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25983
Copyright: Admont, Benediktinerstift

totaque uoluntate amplectendum existimetis. Hoc enim et uos decet et nostre mansuetudini noscitur conuenire. Ut autem omnis istius sedicionis primatus occasio iudicibus apud uos habitis litteris nostris mandamus et precipimus quatenus omnes quos sediciosos agnouerint. legitime uindicte subiciant. Utique qui prospicientes et nos iam cum deo sententiam et rationem professionis uestre nec non et supplicium contra sediciosos indictum. competenter et congrue sacre religionis iura seruate. Predictumque deo amabilem uirum omni reuerentia et honore colite. et orationes una cum eo pro uobis ipsis et nostre uite fauore omnium saluatori deo letantes offerte. Epistola imperatoris constantii pro athanasio episcopo aboleri iubens que contra eum decreta sunt. xxxiii.

Uictor constantius augustus nestorio. Eadem forma presidibus augustamnice thebaidis et libie scriptum est. Quecumque dudum ad lesionem et iniuriam athanasio episcopo communicantium repperitur actum esse. hoc nunc aboleri precipimus. Nam et ministerium quo priuati fuerant eius clerici. eosdem rursus uolumus obtinere. Hanc igitur preceptionem nostram seruari censemus. quatenus athanasio episcopo sue ecclesie restituto communicatores eius habeant ministerium quod semper habuerunt: quod etiam reliqui clerici habere noscuntur. ut ipsi gaudio potiantur.. xxxiiii.

Tantis actalibus epistolis munitus sanctissimus athanasius per syriam aggressus uenit in palestinam. apprehendensque ierosolimam et episcopo maximo innotescens gesta sardicenni concilii. et que constantius imperator illorum decreto iudicioque consenserat precabatur. ut episcoporum illic habitantium synodus ageretur. Maximus autem in nullo segnis de siria atque palestina uniuersos euocauit episcopos. factoque concilio restituit et ipse beato athanasio communionem et dignitatem. Scripsit etiam ipsa synodus alexandrinis et omnibus in egypto et libiis episcopis. clericis atque plebi ea que de athanasio gesta atque decreta sunt. Ob quam rem ualde maximo detraxerunt athanasii derogatores episcopi. quod primitus deponens eum. rursus ex penitentia tamquam nichil fuisset actum. sententiam pro athanasio protulit. que communionem ei dignitatemque preberet. Hec agnoscentes ursatius et ualens qui circa arrianum dogma studium primitus ardenter habuerant. declinantes a priori uoluntate. rome profecti sunt. libellumque penitentie iulio episcopo offerentes. et in consubstantialitatis sermone consensere. et litteras athanasio direxerunt: seque ei de cetero communicare professi sunt. Sic itaque tunc ursatius et ualens gestis athanasii superati conuersi sunt. Athanasius igitur per pelusium pergebat ad alexandriam. Transiens autem per ciuitates edocebat. ut arrianos uniuersi declinarent. et consubstantialitatis dogma amplecterentur. In quibusdam ecclesiis et ordinationes fecit. et hoc fuit initium altius querele aduersus eum. quod in aliorum ecclesiis ordinare presumpsit. Hec itaque de athanasio peruenerunt. xxxv.

Interea res publica casibus urguebatur fortuitis. Unde que sunt capitularia. non est incongruum breuiter explanare.